

enim opus est, ut sint veræ ratione consequentiæ & sint illativæ, sed sufficit si sint veræ ratione consequentis & sint enunciativæ. Nos non de absolute, sed conditionate futuris agemus.

§. 27. Et quamvis aliàs monente Francisco de Oviedo *ubi supra punct. 6 §. 1. n. 2. p. m. 111.* propositiones omnes de objecto conditionato soleant vocari de futuro conditionato & sic sub futuris conditionatis contineantur. (1.) propositiones de præsentè conditionato, in quibus affirmatur actu aliquid existere sub certa conditione v. g. Si Petrus domi est, scribit, si nunc haberem illum librum ad manus, statim evolvere. (2.) propositiones de præterito conditionato, in quibus affirmatur quod fuisset aliqua res in tempore præterito, si talis conditio esset posita, vel quod fuit, si posita sit conditio v. g. Si Patre hoc rogassem mihi dedisset, vel si Petrus heri petiisset, Pater ipsi dedit. (3.) Propositiones de futuro conditionato v. g. si cras pecuniam accepero, libros emam: vel si habiturus essem pecunias, libros emerem, nos tamen non nisi in tertiâ & propriâ acceptione eas in præsentè intelligimus. Hæ propositiones sunt in duplici differentia. Aliæ sunt quarum conditio aliquando actum objectivum est habitura reipsâ, & proinde de facto erunt. Quomodo se habet hæc: Si Adam peccabit, Christus incarnabitur. Aliæ vero sunt quæ nunquam de facto erunt, quia conditio ipsarum nunquam ponetur, essent tamen aliquando futuræ, si illa conditio poneretur. Et tales vocantur purè conditionatas v. g. Si Tyrii vidissent signa, conversi fuissent. Si David apud Ceilitas mansisset, traditus fuisset. Nos ab utroque hoc futuro præscindimus, & loquimur de eo sive ipsius conditio sit ponenda aliquando sive minus.

§ 28. Futura sub conditione à principio creato libero ex triplici habitudine conditionis ad futurum sive objectum tripliciter possunt distingui. Interdum n. (α) Conditio necessariam habet connexionem cum objecto futuro, quod quoties usu venit, propositio est illativa & vera ratione consequentiæ v. gr. in hac. Si Petrus cras in undas se præcipitem dederit, madefiet. Interdum (β) Conditio non nisi contingentem cum objecto habet connexionem. Et tunc propositio non est illativa, nec vi consequentiæ vera, quia illatio, ut bene notat Mendoza mox citandus, denotat necessariam connexionem effectus cum causa, consequentis cum antecedente, sed merè enunciativa & vi consequentis vera. v. g. Si Deus hunc Turcâ vocaverit, consentiet illi vocationi. Hic enim minus bene infero.
Deus